

demus, in radicibus verò montium argentum vivum pristinam recuperat altitudinem, ob aëris cylindrum ponderosiorrem & altiorem, hinc altior quoque fit cylindrus mercurialis, si sub terram per effossam foveam dimittitur: quod etiam à *Georg. Sinclero* demonstratum est in *Regione Lothianâ*, tertio Idus Octobris Anni *LXII.* ubi per puteum carbonarium 24. passibus, & amplius profundum, assumpto *Baroscopio* rectà deorsum, per gradus cochlearios ad imum descendit, quem ad locum cum devenisset, hydrargyri Cylindrum, non obstantibus quàm plurimis, quos inter descendendum passus est, concussibus, sextâ circiter unius digiti parte, altiorem, quàm in summo invenit *Lib. II. Dial. 1. Sect. 2. p. 144. 145. Phil. Lohmeierus Diss. de Artif. navig. per Aërem Tb. 13.* Ex hoc experimento aeris altitudinem cognosci posse autumat *Idem L. 2. Dial. 1. Sect. 8. pag. 136. seqq.* Et quidem ponit, hydrargyri altitudinem apud montis radices viginti octo esse digitorum, & super verticem, qui per unum milliare à terra distaret, viginti tantum sex, tum aëris profunditatem 14. milliaria non excedere. Quod ita demonstrat: Si duos subsidat digitos hydrargyrus, dum unum ascendendo pertransit milliare *Baroscopium*, quod montis altitudinem suppono, tum 2. milliariis pertransitis 4. subsiderent, & tribus pertransitis subsiderent 6. & ita deinceps, donec nihil plus sit hydrargyri, quod defluat, quo in loco nihil plus sit aëris necesse est. Clarius mentem suam exponit subsequenti *S. IX. pag. 138.* hunc in modum: Si 2. (digiti) dant 500. passus (i. e. unum milliare) quid dabunt 29? (digiti scil. mercurii.) Resp. 7250. (i. e. 14. milliaria) Hoc est, pergit, Si ascendendo 500. passus, duo hydrargyri digiti subsidant, quot ascendas oportet, priusquam totius hydrargyri cylindrus, qui est 29. digit. subsidat? Sic resolvitur, septies mille ducenti quinquaginta passus sunt pertransendi, quæ est determinata aëris hoc in loco altitudo.